



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum X. Avaritiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

cum in choro, ac etiam in capitulo, & alia onera Canonicoꝝ subeat, congruum est, ut ex Ecclesia, cui seruit, redditibus alatur, seu ut beneficium proprie dictum habeat.

Obijcitur contra textum. Cum Archiepiscopus Magistro J. in Canonicum recepto, praebendam proximè vacaturam promississet, quòd Papa eum horrari non debuerit ad implendum, cum repugnet *c. 2. de concessione praebendae*, ubi tales promissiones, & expectativae reprobantur. Resp. cum *Innocent. hic in principio, Imola. n. 2.* Archiepiscopum ad praebendam primò vacaturam conferendam dicto J. obligatum non fuisse ex promissione, sed ex naturali congruitate, Jure Canonico stabilita, ut recepto in Canonicum de praebenda etiam, quàm primùm fieri potest, provideatur; quare Pontifex ait, quòd Archiepiscopus praebendam ipsi libera liter conferre debeat, adeoque non ut proprie seu ex justitia debitam. Itaque promissio Archiepiscopi illicita non fuit, cum per eum id promissum fuerit, quòd Sacri Canones fieri jubent, & idcirco in hoc casu Archiepiscopus ex duplici congruitate praebendam dare debeat, consequenter Superioris officio ad hoc compelli poterat, quia & Canones id jubent, & Archiepiscopus, quòd Canonibus congruum est, se facturum promissit.

2. Sunt verò casus aliqui, in quibus recepto Canonico non statim praebenda conferenda sit. Primus est. Si in alia Ecclesia sufficientem praebendam habet, tunc nisi rationalis causa suadeat, non potest alibi praebendam accipere, licet Canonicatum sine praebenda accipere possit, prout *Innocent. docet in c. ult. tituli praecedentis*. Secundus. Si propter residendi obligationem praebendae incompatibiles sint, nihilominus Canonicatus, seu Jus Canonicae conferri potest, prout dixi *in cit. c. ult.* expedit enim Ecclesiae, ut plures habeat Canonicos, tanquam membra, adjuutores, & consiliarios, *argum. c. extra, §. distinkt. 64.* Tertius. Si in Ecclesia numerus praebendarum deter-

minatus sit, sed non numerus Canonicoꝝ, tunc fieri potest, ut ultimò receptus in Canonicum diu expectare debeat, donec praebendam consequatur, quia vacantibus praebendis is praefertur, qui prius receptus est; aequum tamen est, ut ejusmodi Canonici, si ad manendum, & servitiam Ecclesiae, obligati sint, portiones, seu praestimonia habeant.

CAPITULUM X.

Avaritiae.

PARAPHRASIS.

Canonici Regulares & Monachi Ecclesiae Eboracensis Parochias quasdam, Monasterijs suis incorporatas, habebant, ita ut temporalium reddituum pensiones ipsis deberentur, sed portiones reddituum ex antiquo tempore Clericis in iisdem Parochijs ministrantibus assignatae erant. Has portiones Canonici, & Monachi diminuerunt; quò intellectu mandat ipsis Alexander III. si portiones seu redditus antiquos Clericorum sine Archiepiscopi sui consensu minuire, vel parochialia beneficia dividere praesumpserunt, ut ad integritatem pristinam revocent.

SUMMARIUM.

1. Unio in hoc Capitulo Ecclesiarum parochialium facta fuit monasterijs, quoad temporales partes fructuum, ita ut Clericis, parochia de servientibus, sua portiones manerent.
2. Hinc non potest pro suo arbitrio statum Ecclesia taliter unita mutare monasterium v. g. Sed conservari debet Rector, & Capellani v. g. Ecclesia unita, & portiones eis integrè relinqui.
3. Episcopus tamen potest, ex justa causa, portiones beneficiorum, in casu Ecclesiarum monasterijs v. g. incorporatarum, minuire, vel etiam augere, salva tamen unione.

Adverte,

Adverte, quòd Parochiæ in casu hujus capituli unitæ erant Monasterijs, quoad temporalitatem, ita, ut certa pars reddituum Monasterijs proveniret, reliqui verò redditus in portiones Clericis inibi ministrantibus distributi, ac designati essent, tanquam in beneficia eorum. Interdum verò contrarium accidit, ut Parocho, Vicario, alijsque ministris certæ portiones, seu pensiones deputatæ sint, reliquum verò Monasterio, cui Parochia unita est, provenire debeat; & interest inter utrumque modum, sicuti *Rebuff. notavit in tract. de portione congrua. n. 108.* si enim ad Monasterium propter factam unionem pertinent proventus parochiæ præter certam portionem, tunc Monasterium habet fundatam intentionem super decimis, novalibus, aliisque proventibus, nisi Vicarius, aut ministri ostenderint, ad suam portionem pertinere; sin autem Monasterium certam pensionem accipiat, reliquis proventibus Vicario, aut alijs Clericis relictis, tunc Vicarius, vel Clerici fundatam intentionem habent; præterquam quòd, auctis redditibus parochiæ, æquum sit, ut Prælati Monasterij, tanquam Rector principalis, pensionem majorem percipiat, minorem verò, si redditus diminuantur, sicuti docet *Abb. in c. prohibemus n. 4. de censibus, Rebuff. loco cit. n. 39.*

2 Notandum primum. Monasterium aut Ecclesia Collegiata, cui parochia unita est, non potest, arbitrato suo, statum parochiæ mutare, sed debet conservare, Rectorem, & Capellanos, vel Coadjutores ejus, atque portiones seu redditus ipsis relinquere, sicuti antea consueverunt, aut statutum fuit. Ita *Innocens. And. Abb. Imola, & alij* intelligunt. Ratio est, quia Capitulum, aut Prælati, vel Rector non exemptæ Ecclesiæ absque Episcopi consensu statum ejus Ecclesiæ mutare non potest, ut hic *DD. tradunt.* & ex communi *Rebuff. n. 56. argum. c. cum consuetudinis. de consuetudine.*

Consentit *Clement. prima de supplenda negligentia Prælatorum*, ubi extenditur ad

Prælatos exemptos, & statuitur primò. Si Prælati regulares beneficia quæcunque regularia, aut secularia, quorum collatio ad ipsos spectat, intra sex menses post diem vacationis non conferant, ut Diocesani Episcopi suppleant negligentiam Prælatorum, sua autoritate conferendo, si Prælati exemptus non sit; Apostolicâ verò autoritate, si exemptus. Secundò. Simili autoritate nixi non permittant, sed prohibeant, ne dicti Prælati beneficia ejusmodi suis mensis applicent, aut novas pensiones imponant, aut veteres augeant, vel ita auctas accipiant. Et habet hæc Clementina locum, quotiescunque certi redditus deputati sunt ad beneficium seculare, aut regulare alicujus Rectoris, Administratoris, Capellani &c. tamen si manuale sit, quòd videlicet collatio ejus fieri debeat intra sex menses redditibus in sua integritate relictis, sicuti *Gl. ibi dem explicat V. revocari.*

Notandum secundò. Episcopus ex justa causa portiones, seu redditus beneficiatorum in Ecclesijs, seu parochijs, quæ Monasterijs, aut Collegijs incorporatæ sunt, minuere, seu dismembrare potest; imò etiam dividere parochiam, si justa causa postulet, salva tamen unione. Ita *sumitur ex hoc. c. & tradit Gl. recepta V. redditus.* Quòd si nolit Episcopus, tum ait *Gl.* quòd Prælati, cui parochia incorporata est, querelam deferre possit ad Superiorem ejus, videlicet Metropolitanum, aut Papam, ut ab eo cogatur, si causa talem divisionem, aut diminutionem postulet. Sed & idem Episcopus, seu Ordinarius loci, portionem Clericis deputatam, ex justa causa, augere potest, videlicet ob auctos labores eorum, maximè, si etiam parochiæ redditus aucti sint, cum æquitas exigere id videatur, *argum. c. de Monachis 12. hoc. tit.* Quòd si Prælati Monasterij, cui parochia incorporata est, tali casu consentire nolit, ipso etiam invito, auctorem fieri posse, ait *Innocent. & Imola hic n. 4. argum. c. 3. de Ecclesijs aedificandis.*

K

CAPI-